CAROLO DAL NEGRO

SACRA PRIMUM PERAGENTI

PRIDIE NONAS JUNIAS

PATAVII IN ECCLESIA PAROCHIALI

SANCTÆ MARIÆ DE MONTE CARMELO

HOC CARMEN

CAROLI ALOYSII SALANI

IN SEMINARIO PATAVINO LITTER. LAT. PROF.

AUGUSTINUS BERNO

AMICUS ET COLLEGA

GRATULATIONIS ERGO

D. D. D.

Patavii 1871, Typ. Seminarii.

111

PETRUS MIKORSKI

PETRUS MIKORSKI, adolescens Polonus, qui a. 1864 Romæ exsulabat, duos fratres, in Siberiam paullo ante relegatos, de matris interitu, suoque exsilio per epistolam edocuit.

ELEGIA

Si quando (objectum peragrans, quo scindimur, orbem)
Tangat hyperboreas littera nostra plagas,
Russica ubi feritas, sociis aquilonibus, angit
Triste Polonorum discruciatque genus;
Excipite, o fratres, quæ fata novissima matris:
Discite quo vitam littore frater agat.
Mens equidem refugit teneræ meminisse parentis,
Quam profugis natis abstulit unus amor:
At jubeor; lacrimisque licet mea scripta madescant,
Non tamen impediet pergere jussa dolor. —
Nondum complerat tacitum nox ultima cursum,
Quâ vestro adspectu squalluit orba domus;
Quum mihi, quem curis fessum sopor altus habebat,
Desperato adstat victa dolore parens.
Excutior somno: tenuemque ad lampadis ignem,
Conjicio in matrem, corde micante, oculos.
Qualis erat! laniata sinus, disjecta capillos,
Vulsa velut gemino lumina ab orbe rotat.

Non vox, non gemitus: sed creber anhelitus auram
   Percutit; atque agitat languida membra tremor.
Utque meum tetigit lectum, sensitque jacentem,
   „Te saltem.... „ inclamat, procubuitque super.
Muta diu stetit: at, mentis turbante tumultu,
   Corripuit subitus saucia corda furor.
Meque manu abripiens, ne dulce levamen abesset,
   Neve suo abstraherer tertius ipse sinu,
Vos, vos hac illac vaga quæritat, atque per omnem
   Flebilis ingeminat nomina vestra domum.
„O qui traxisti male cauta in prælia natos,
   Non tibi, conclamat, non tibi mater erat?
Hei mihi! Gerardum forsan fera in arma ruentem
   Mox circumventum Russica turma premet.
Mox Aldo forsan jaculum præcordia scindet,
   Aut equus e Tanai proteret ungue caput.
Est meus ille cruor! Crudeles, reddite natos,
   Aut eadem occisam me quoque condat humus „.
Talia dicentem, curisque furentibus actam
   Non pia verba levant, non levat ulla quies.
Delirum tandem pectus lethargica adurit
   Febris, et horrificis quassat imaginibus.
Teque modo insequitur, Gerarde, per arma, per hostes,
   Seminecemque acie surripuisse putat;
Te nunc, Alde, suum vocitantem in funere nomen,
   Ipsius ante oculos somnia cruda ferunt.
At velut e nimbis quum sol caput exserit atris,
   Et mæstam occiduo lumine vestit humum;

Haud secus excutiens densas moritura tenebras
    Hos placida extremo protulit ore sonos:
« Auxilio confisa tuo, venerabile Numen,
    Devoveor natis, hostia læta, meis.
Ne pereant, precor; immo etiam, exsultantibus ipsis,
    Aspiciat faustos patria nostra dies.
Tu fac, ut bello reduces functosque periclis
    Unaque Relligio jungat et una domus.
Et si defuerit matris conspectus; at illis
    Sit venia errati, funere parta meo ».
Hæc vos ut moneam, jussit; subrisit; in ulnas
    Dein collapsa meas deficit exanimis.
Heu! quid agam, fratres? quid me remorentur avorum
    Limina, tam diris collabefacta malis?
Vos in bella sequar, miseræ exsecrata parenti?
    Conquerar an patriæ vulnera testis iners?
Per juga, per valles, per inhospita quæque locorum
    Continuo aggredior solus inopsque viam.
Tandem, ubi læta quies, miseris ubi patria cunctis,
    Me dudum errantem Romula terra beat.
Hîc patrios spectare locos, hîc visere fratres,
    Hîc aurâ videor liberiore frui.
Hæc siquidem e reliquis, miseranda Polonia, terris
    Terra hæc conqueritur questibus una tuis!
Quin Summus quoties Capitolî e vertice Pastor
    Flexit in ærumnas lumina mæsta tuas,
Carnificum riguere manus, visusque parumper
    Obscænas frontes occuluisse pudor.

Dumque ego contemplor Petri inter mœnia, fratres,
Innumera innumeris sparsa trophæa locis;
Quanta mihi recreat trepidum fiducia pectus,
Quantoque in patriam purior ardet amor!
Namque novas cerno referendas undique palmas,
Quas tibi, Relligio, deferet ante pedes
Victaque Barbaries, armisque exuta Tyrannis,
Quique tuas toties contudit Error opes. —
Ah simul ac nostris libertas fulgeat oris,
Et verax teneat pristina sceptra Fides;
Crux illa, o fratres, tumulo superaddita matris,
Oscula nostra sibi votaque prima petit!

8a